

15 Disp. I. Partit. I. De vnitare conceptûs Entis. 16

do. Exemplum verò allatum de homine, respectu Petri, Ioannis &c. est dispar, quia est de affiliatione vniuoca, & categorica.

Ad vnde. nam. Ad vndecimam respondendum cum Nazario in 1. partem quasi 13. obieci 11. substantiam, & accidens includi in conceptu entis, vt constituentibus illum conceptum. Et cum sit instantia, impossibile est vnum multis modis sine differentis oppositis constitui; dic vnum conceptum non constitui modis oppositis vt sic, sed in quantum aliqua ratione vnitatem habent; in proposito enim substantia, & accidens vt vnum quid proportionally constituit conceptum entis; vnitatis autem proportionis non est vera, & simpliciter vnitatis: sed vnitatis tantum secundum quid: illa autem est vnitatis tantum simpliciter, quæ est vnitatis vniuocationis.

Ad vltimam. Ad vltimam latè respondet Flandrensis 4. *Metaph. quasi 2. art. 5.* sed non videtur ita valida eius responsio. Quare dico, & concedo tot esse ponendos gradus formarum in rerum natura, quot sunt prædicata formalia essentialiter subordinata, essentialiter categoricè, concedo; essentialiter transcendentaliter nego: Ens autem est primum prædicatum formale transcendendale, concedo; formale categoricum, nego. Dico ens esse formale transcendendale, quia etiam in omnibus prædicatis categoricis includitur.

DECISIO.

Resolutio prima. Tenendum est verè dari vnum conceptum formalem entis, distinctum, perfectum, & non modò vnum in ratione entis, sed etiam in ratione imaginis: quæ resolutio validè sic fundatur in subiequenti de vnitare conceptûs obiectiuu: Eo modo (ceteris tamen paribus) conceptus formalis est vnus, quo modo obiectiuus est vnus, sed obiectiuus est verè vnus, & distinctè vnus etiam non modò in ratione rei, sed in esse imaginati, seu representati, ergo & formalis erit hoc quoque modo vnus: nam pro vno representato sufficit vnum representans.

Maiores confirmatur; Ille actus intellectûs est verè, & omni ratione vnus, qui terminatur ad vnum: sed sic se habet conceptus formalis intellectûs, ergo est verè vnus. Est autem distinctus; quia terminatur ad aliquid distinctum, nempe ad obiectiuum conceptum prædictum ab inferioribus, vt sequenti Partitione videbitur, ergo est distinctè vnus. Ideò enim ab aliquibus ponitur ille conceptus obiectiuus confusus, quia volunt ipsum confundi cum particularibus entibus, & suis modis, ac differentijs contrahentibus: at ostendemus omnino contrarium, ergo ex hoc sequetur ipsum non esse confusum, sed distinctum, & per consequens conceptum formalem esse quoque distinctum.

Secundo. Ideò Aduersarij nolunt conceptum formalem entis esse vnum, quia (aiunt) representat plura Entia vt habentia proportionem inter se, non verò vnum conceptum communem immediate: sed immediate illa plura entia: at ostendemus resolutione sequenti, representari immediate vnum conceptum communem omnibus, quo mediante poterit dici representare particularia entia; sed hoc modo dicitur

illa representare mediata tantum; ergo conceptus formalis est verè vnus distinctus, proinde, que perfectus & in esse rei, & in esse imaginis vnus.

Ex quibus patet inualiditas solutionum alatarum Clypeo 4. contra argumenta, pro vnitare conceptus formalis posita Clypeo 2. fundantur enim dictæ solutiones in dicendo, concedo, quòd conceptus formalis sit vnus confusus imperfectè, & in ratione entitatis: nego verò, quòd sit distinctus, perfectus, & vnus in ratione imaginis; at contrarium colligi debet ex dictis. Et ad hoc quòd volentes illum conceptum esse confusum, & imperfectum, decipiuntur in hoc, quòd respiciant ad conceptum substantiæ, & accidentis, prout continentur sub ente vniuerialissimè sumpto: sed non aduertunt de ente vniuerialissimè sumpto prius formari conceptum communem, sub quo tamen conceptu, negari non potest, quin contineantur virtualiter, & confusè substantiæ, & accidentis, sed vt supra dictum, ille conceptus substantiæ, & accidentis est mediatus respectu entis in toto suo ambitu considerati: vnde non negamus, quin conceptus entis etiam vniuerialissimè, possit dici confusus, sed mediata; immediate tamen est distinctus: sicut conceptus hominis respectu naturæ humanæ, est verè perfectus, & distinctus à conceptu Petri, Ioannis &c. potèstque dici confusus, quia continet ille conceptus hominis mediata, & confusè, & veluti virtualiter Petrum, Ioannem, &c.

Probatu vterius resolutio; Si darentur plures conceptus formales pro ente, daretur saltem vnus pro substantia, & vnus pro accidente: sed inquirent, curetiam non dabitur vnus pro quantitate? vnus pro qualitate? vnus pro substantia completa? vnus pro incompleta? vnus pro habitu? vnus pro *Obi* &c. in infinitum? Respondent dabile esse in infinitum in ratione imaginis. Sed hoc certè est contra experientiam; nam quòd in mente nostra concipimus ens vniuerialissimum, non concipimus nequidem confusè nisi virtualiter, non verò confusè actualiter representationem illorum omnium prædictorum, sed tantum vnã rationem communem eius, quod est, id est entis, ergo cum illud sit contra experientiam, nullatenus debet admitti illa pluralitas conceptuum formalium entis.

Resolutio secunda. Datur vnus conceptus entis obiectiuus, probari potest rationibus factis Clypeo 6. Solutiones enim ipsi datæ Clypeo 8. salus frivola sunt: fundantur enim præsertim in duobus. Primum est; quòd ens habeat tantum communitatem proportionis, quia ens respectu suorum inferiorum est analogum proportionis: sed hoc fundamentum valde debile est: Primum supponit valde incertum, cuius contrarium sustinebimus suo loco, probantes ens esse vniuocum: Deinde probatum est in Logica Analogiam proportionis proprie dictæ, esse verè vniuocationem: Secundo fundamentum illud nullum est, in illo maxime, quòd dicat ens vt ens respicere sua inferiora.

Summoperè namque est considerandum, quòd Eas vt est quid abstractum à Deo, & creaturis,

Num. 16. Deciditur difficultas quoad conceptum formalem quòd sic licet dicitur vnus. Prob. prima.

Prob. secunda.

Prob. tertia.

Num. 7. Datur vnus conceptus obiectiuus entis. Prob. prima, ex destructione fundamenti Aduersarij.

Adueris.